

Qui circulum quadrare cupiūt, postulatum quod-
 dam mechanicum statuūt, ex quo persuadere co-
 nātur, lineam curuam posse applicari rectæ, ita vt vna
 alteri æqualis habeatur. Postulatum istud in hanc sen-
 tentiam concipiunt. *Circumferentia potest æquari lineæ
 rectæ, si præparetur rota mobilis, circulo æqualis, quæ ab v-
 no puncto circumferentiæ in planum iuxta lineam rectam
 extēdatur, donec ad idem punctum redeat: hoc enim inter-
 uallum a rota mobili in superficiem planam extēsum, æquale
 est circumferentiæ circuli.* Vide Scaligerum in cyclome-
 tricis, pagina 20. Quod epharmosis ista nō abhorreat
 a principiis geometriæ, Mechanici hinc probare vidē-
 tur: quia Euclides inter principia geometriæ hoc re-
 fert, quod quæ sibi mutuo applicentur, inter se equalia
 habeātur: verba eius hæc sunt, καὶ τὰ ἐφάρμοζοντα ἐπ' ἀλλη-
 λα, ἴσα ἀλλήλοις ἐστί. Verbi gratia, si quis lineam vnam al-
 teri superponat, ita vt nec excessus nec defectus in lon-
 gitudine conspiciatur, tunc ambæ lineæ dicuntur æ-
 quales, per applicationem siue per epharmosin. Item si
 quis angulum angulo superponat, vt eadē inclinatio
 appareat, tunc etiam ambo hi anguli inter se æquales
 erunt, per applicationem quandam externam. Idem
 dici potest de mutua applicatione superficierū: si enim
 triangulus triangulo superponatur, vt nec latera, nec
 anguli se inuicem excedant, tunc triangulus triangulo
 æqualis censetur per epharmosin. Et si circulus circulo
 super-